Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2537
Quelle:
Copyright:

Dionysii Exigui. Sequuntur *Canones* XII. de Esu Immolatorum, de Usuris, de Hospitalitate, de Avaritia, de Eleemosynis, de Caritate Proximi aliunde lecti.

IV. *fol.* 26. p. 2. *Item De Alio Penitentiali.* Canon I. *Qui detrahit laici VII. dies. Clerici duas ebdomadas. Subdiaconi III. Diaconi IV. Presbiteri V. Episcopi sex ebdomadas peniteant.* Sequuntur plures alii de correctione Irae, Instabilitatis, Superbiae, aliorumque vitiorum, de Communione cum Haereticis, Baptismo, Observatione Diei Dominicae et Iejunii ecclesiastici.

V. *fol.* 31. p. 2. *De Sacrificio.* Canon I. *Pro bonis rebus offerre debemus. Pro malis nequaquam. Id est pro caritate fraterna offerri. pro odio nequaquam.* Sequuntur plures alii de eadem Materia. In his, ut in antecedentibus, aliquoties Usus *Graecorum* et *Latinorum* inter se comparantur.

VI. *fol.* 36. *Item de Alio Penitenciale.* Canon I. *Si quis sacerdos tactum mulieris pollutus fuerit. LXX. diebus Peniteat.* Sequuntur Canones plures de diversissimis materiis. Inter alia rarior est formula: *Si quis in terra fornicaverit*, et: *Si subterrauerit*; nisi dicas, posterius esse mendum Librarii pro *sub terra fornicauerit*, quod non incredibile de Nostro. In Glossariis *Subterrare* alio significatu est. Nullibi porro ad relatas has *Canonum* Syllogas adnotatur, unde decerpti sint; infinitae proin indaginis esset, id ex Autoribus supra citatis eruere, qui paene omnes opportunis Indicibus destituuntur.

VII. *fol.* 41. *De Uestimentis Sacerdotalibus.* Initium: *Id est ephot. superhumerale. significat munditiam bonorum operum. De podere. Id est. tonica linea* &c. Multi sunt veteres Liturgici in Descriptionibus Sacrarum Vestium; hanc tamen concisam nullibi me legere memini. Definit in haec verba: *et contemptores non inueniant materiam blasphemandi.*

VIII. *fol.* 42. *In Dedicatione Ecclesiae.* Sermo, cujus initium: *Quociens cumque fratres karissimi altaris uel templi festiuitatem colimus* &c. *Caesarii* est, olim *Augustino* tributus, et conjectus a *Maurianis* in *Append. T. V. col.* 375. in nostro vero exemplo fine mutilus.

DCLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 724
X. Folior. nunc 116. 4. probe exaratus, minio vivace distinctus et optimae notae, Literis quadratis rubro nigroque per lineas alternantibus inscribitur: *Incipit De Vtilitate Penitentie Et Quomodo Credendum Sit De Remissione Peccatorum Per Penitentiam Cum Prefatione Operis Subsequentis.* Initium prolixae hujus Praefationis est: *Excepto baptismatis munere quod contra peccatum originale donatum est. Unde incipit renouatio hominis in qua omnis reatus soluitur. Et ingeneratus et additus. etiam cetera uita iam ratione utentis aetatis quantalibet praepol-*